

Et liberaliter largitus. Atque hæc de talibus nimium fortasse multa. Philistione autem (si quidem vteris) familiarissimè vti potes: ac, si licet, Speusippo etiam vtere & remitte. Indiget autem tui Speusippus. Pollicitus est mihi Philistion (si tu ipsum dimiseris) se celeriter Athenas venturum. Itaque si è latumiis emiseric, rectè feceris. Leue autem est quod de seruis ipsius, & de Hegesippo Aristonis filio rogare te velim. Scripsisti enim ad me, si quis vel hunc, vel illos offenderet, idque ad aures tuas perueniret, te minimè permissurum: ac de Lysiclide dissimulandum non est. Solus enim ex iis, qui è Sicilia Athenas profecti sunt, nihil de nostra necessitudine commutauit, sed si quid boni in rebus nostris fuit, laudare & amplificare non desinit.

## A R G V M E N T V M

tertix epistolæ.

**R**espondet initio huius epistolæ de genere salutationis, deinde facta diuisione duarum calumniarum (quibus à Dionysio affiebat) singulatim vtramque refellit. Docet in epistolâ præscriptione verbum ἐνπελάειν melius, quàm χαίρειν adhiberi. Argumentum ex adiunctis est. Præcipua verò sententiæ hîc sunt, Non accedendū sapienti ad Remp. in qua consilio locus non est. Item, Amicis succurrendū.

## Eidem.

Epist. 3.

**S**I in epistolis hoc genere salutationis vtor, γλαῶν Διονυσίου χαίρειν, an verissimâ salutationem sequar? an potius pro mea consuetudine si præscribam ἐνπελάειν, quemadmodum in lieris amicos salutare consueui? Etenim etiâ